

Si quis in hoc artem populo non novit amandi,
hoc legat et lecto carmine doctus amet.
Arte citae veloque rates remoque moventur,
arte leves currus : arte regendus amor.
5 Curribus Automedon¹ lentisque erat aptus habenis,
Tiphys in Haemonia² puppe magister erat :
me Venus artificem tenero praefecit Amori ;
Tiphys et Automedon dicar Amoris ego.
Ille quidem ferus est et qui mihi saepe repugnet :
10 sed puer est, aetas mollis et apta regi.
Phillyrides³ puerum cithara perfecit Achillem,
atque animos placida contudit arte feros.
Qui totiens socios, totiens exterruit hostes,
creditur annosum pertimuisse senem.
15 Quas Hector sensurus erat⁴, poscente magistro
verberibus jussas praebuit ille manus.
Aeacidae⁵ Chiron, ego sum praeceptor Amoris :
saevus uterque puer, natus uterque dea⁶.
Sed tamen et tauri cervix oneratur aratro,
20 frenaque magnanimi dente teruntur equi ;
et mihi cedit Amor, quamvis mea vulneret arcu
pectora, jactatas excutiatque faces.
Quo me fixit Amor, quo me violentius ussit,
hoc melior facti vulneris ultor ero.

¹ Automedon : conducteur du char d'Achille

² L'Hémonie est le nom antique de la Thessalie, région de Grèce d'où partit la nef Argo lors de l'expédition destinée à conquérir la Toison d'or

³ Phillyrides : le fils de Phillyre (= le centaure Chiron, qui instruisit le jeune Achille, mais aussi Jason et Esculape)

⁴ Cette relative a pour "antécédent" le nom *manus*, au vers suivant

⁵ Aeacidae : l'Eacide (= le petit-fils d'Eaque, Achille)

⁶ Achille est le fils de Thétis, et l'Amour est le fils de Vénus